

Epistola B. Pauli Apostoli ad Philemonem

1 Paulus vinctus Christi Jesu, et Timotheus frater, Philemoni dilecto, et adjutori nostro, **2** et Appiæ sorori carissimæ, et Archippo commilitoni nostro, et ecclesiæ, quæ in domo tua est. **3** Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.

4 Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis, **5** audiens caritatem tuam, et fidem, quam habes in Domino Jesu, et in omnes sanctos : **6** ut communicatio fidei tuæ evidens fiat in agnitione omnis operis boni, quod est in vobis in Christo Jesu. **7** Gaudium enim magnum habui, et consolationem in caritate tua : quia viscera sanctorum requieverunt per te, frater.

8 Propter quod multam fiduciam habens in Christo Jesu imperandi tibi quod ad rem pertinet : **9** propter caritatem magis obsecro, cum sis talis, ut Paulus senex, nunc autem et vinctus Jesu Christi : **10** obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo, **11** qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem et mihi et tibi utilis, **12** quem remisi tibi. Tu autem illum, ut mea viscera, suscipe : **13** quem ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis Evangelii : **14** sine consilio autem tuo nihil volui facere, uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium. **15** Forsitan enim ideo discessit ad horam a te, ut æternum illum reciperes : **16** jam non ut servum, sed pro servo carissimum fratrem, maxime mihi : quanto autem magis tibi et in carne, et in Domino ? **17** Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me : **18** si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa. **19** Ego Paulus scripsi mea manu : ego reddam, ut non dicam tibi, quod et teipsum mihi debes : **20** ita, frater. Ego te fruar in Domino : refice viscera mea in Domino. **21** Confidens in obedientia tua scripsi tibi : sciens quoniam et super id, quod dico, facies.

22 Simul autem et para mihi hospitium : nam spero per orationes vestras donari me vobis. **23** Salutatur te Epaphras concaptivus meus in Christo Jesu, **24** Marcus, Aristarchus, Demas, et Lucas, adjutores mei. **25** Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro. Amen.